

iniquitate neglectas restitueret in integrum; quod auctor vitæ Meinwerci satis indicare visus est. Accessit miserabile incendium, quo Basilica, Collegium Canonorum, & magna pars urbis deflagavit. Veritus enim, ne se Episcopo exustâ Canonorum domo, communis vitæ societas, quod Treviris jam factum deplorant eorum annales, solveretur, Henrici Regis, aliorumque piorum hominum subsidia imploravit, obtinuitque, quod Dithmarus scribit, postquam Paderbornæ Monasterium, et omnis ejus apparatus flamma nostra iniquitatis consumpsit, multorum fidelium corda sunt commota, quæ amor divinæ remunerationis ad hæc reparanda accendit. Corpus Retharij in Basilica, quam toto nisu instaurabat, humatum est. Per id tempus Henricus Rex 4 Idus Martij Tremonia egit, ut ex diplomate Theodorico Episcopo istic dato, quo universim omnia Ecclesiæ bona in tutelam imperij suscipiuntur, constare poterit; utrumque à Gunthero Cancellario eodem die Tremonia conscriptum. Inde Goslariam profectus, ubi Cineralia celebravit. Pastore destitutus Clerus Paderbornensis illico legatos suos ad eum direxit, ut auctor vitæ Meinwerci pergat referre, qui et obitum Episcopi denunciant, et clementiæ solatium de successore idoneo suppliciter implorarent; qua lugubri Rex audita legatione, talem tantumque virum condigno mœrore deflevit, et Missarum eleemosynarumque debita commemoratione animam ejus divinæ pietati commendavit. Quo satis denuo constat, quanti hunc integerrimum Præsulem fecerit Rex, magnus Cleri & Præsulum æstimator. Consecutus præterea Retharius pro animæ solatio ceterorum Episcoporum ac Sacerdotum subsidia ex sacro fraternitatis foedere, quod supra Tremonia inter Episcopos ac Principes convenisse memoravimus.

Goldast.
tom. 3. cons.
tit. Imp.
pag. 311.
Pistorius in
dipl. Mem.
densi.
Auctor vi-
ta Mein-
werci.
Deplora-
ta ab
Henrico
Rege.

ANNA-